



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VI. De his quæ operantur propter finem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

De Causâ materiali, formali, finali & exemplari. SECTIO VI. 355

sine inclinatione seu influxu formali ex parte ipsius cognitionis, posse difficultatem hanc intelligi, vt ex solutione argumentorum clarè ostensum est. Tertiò, posse probabiliter dici, cognitionem formaliter per se ipsam esse quasi quoddam pondus, quod voluntatem aliquo modo ad amorem propellat, ad modum quo de habitu voluntatis suo loco dicemus, illum in genere causæ formalis inclinare voluntatem. Ita tamen hæc dicta putes, vt præcipua attractio intentionalis ab ipso obiecto sit, vt dixi suprâ. Neque video in hoc modo dicendi difficultatem aliquam, nisi fortè de voce, quam non adeò curo. Quomodo autem cognitio determinet voluntatem, fusiùs in libris de Animâ dicetur.

SECTIO VI.

De his quæ operantur propter finem.

HOMINES & Angelos operari propter finem, est extra controuersiam. De hominibus id suadet experientia, de Angelis paritas rationis. Est ergo difficultas de Deo, & de brutis, de quibus breuiter nonnihil dicemus.

SVBSECTIO PRIMA.

Deus operatur propter finem.

ET quod attinet ad Deum, Primò certum est, actus voluntatis ipsius Dei non fieri propter finem: quia cum eiusmodi actus sint idem cum essentia diuinâ quæ nullo modo fit, neque ipsos fieri certum est; vnde neque à fine fiunt, ergo volitio diuina, prout se tenet ex parte Dei, non habet causam finalem, sicut neque eius cognitio habet causam obiectiuam.

Sed potest hinc insurgere difficultas, vtrum scilicet, etsi volitio diuina non habeat propriè causam finalem, sicut cognitio illius non habet causam obiectiuam, nihilominus tamen eius volitio habeat propriè finem, sicut eius cognitio propriè habet obiectum formale. Neque enim videtur esse idem finis & causa finalis, sicut non sunt idem obiectum & causa obiectiua: causa enim finalis videtur includere dno, & esse id quod amatur propter se, & efficere aliquo modo amorem sui; sicut causa obiectiua intellectus dicit esse id quod cognoscitur, & alterius efficere cognitionem; finis autem solum dicitur esse id quod vltimò amatur, sicut obiectum formale solum dicitur esse id quod cognoscitur: Dei autem volitio, licet nullo modo causetur, ideoque non habeat causam finalem, verè tamen amat aliquod obiectum vltimò, ideoque videtur habere finem propriè. Fateor, si quis nomine finis præcisè intelligeret obiectum vltimò amatum, posset dicere, Deum habere propriè finem: verum, quia in quæstione de nomine, standum est communi acceptioni, & Philosophi communiter cum Aristotele pro eodem vsurpant finem ac causam finalem, dicendum est, actus voluntatis diuinæ propriè non habere finem, quia nec causam finalem, etiam si eius cognitio habeat obiectum. Disparitas est, quia ex communi acceptione distinguitur obiectum à causâ obiectiua, finis autem non distinguitur à causâ finali.

Circa effectus autem diuinæ voluntatis est maior difficultas: illi enim propriè videntur fieri propter finem, id est propter ipsum Deum, iuxta illud Ecclesiastici, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* & iuxta illud Apocalypsis, *Ego sum a & o, principium & finis.*

Nonnulli recentiores, quibus acquiesco, affirmant, propriè operationes Dei ad extra habere causam finalem: qui modus loquendi confirmatur ex phrasi communi Scripturæ, Patrum, & Theologorum, absolute concedentium causam finalem effectibus diuinæ voluntatis, negantium eandem ipsis actibus diuinis: quod etiam Hurtadus defendit Disp. 13. de Animâ, §. 2.

Obiicies tamen contra nos: Finis solum est causa mediata respectu mediorum, respectu autem voluntatis est causa immediata; ergo si finis nullam habet vel exercet causalitatem circa voluntatem, non poterit exercere causalitatem circa media: sed nullus finis potest exercere causalitatem circa actus & voluntatem Dei, ergo nec poterit eam exercere circa opera, ab eâ voluntate causata; ergo neque ipsa opera Dei habebunt propriè causam finalem. Respondeo, de ratione finis solum esse, vt ob amorem illius aliquid fiat; ad quod non requiritur, vt ipse amor finis causetur à fine, sufficit enim si ab amore finis media causetur. Licet autem amor diuinus in se non causetur vilo modo, & consequenter amor ille non habeat propriè causam finalem, neque finem, quod idem est (vt suprâ dixi,) ob amorem tamen de Deo, & ab illo amore causantur verè creaturæ, vnde hæc propriè sunt propter finem amatum. Hinc nego obiectioni, necessariò requiri, vt aliquod medium sit propter finem, amorem de illo medio causari à fine; sufficit enim, si ille amor feratur in illum finem vltimò, ideoque etiam causet media. Idem dicendum est de ipsis effectibus creatis inter se, v.g. vocatio habet pro causâ finali conuersionem; ex amore enim conuersionis, Deus vocat hominem ad penitentiam, licet id fiat vnico actu, & qui (vt dixi) non causetur ab ipsâ conuersione, quæ hinc & nunc dicitur finis eius vocationis.

SVBSECTIO SECUNDA.

Quid de brutis.

GRAVIOR difficultas est circa bruta, an ea operentur propter finem. In quâ quæstione communis sententia negat, ea operari vilo modo propter finem. Ratio autem, quæ etiam communiter affertur, est, quia vt operentur propter finem, deberent comparare finem cum mediis, & discernere inter bonum, vtile, & delectabile; quod non potest fieri, nisi per discursum vel actum iudicij: vterque autem repugnat brutis, ergo & operari propter finem.

Hanc difficultatem lubet diligentius examinare. Et quidem duo possunt hic disputari: vnum de re, alterum de modo loquendi, quæ oportet distinguere. De re potest esse quæstio, an hirundo v.g. dum paleas colligit, aquâ lutoq; permiscet, aliquid cogitet de nido, vel de ouis excludendis in nido; an verò præcisè proponatur ei bonitas in eâ collectione palearum, sine aliâ tunc ulteriori cogitatione. hæc est quæstio de re. De nomine

64 nomine autem erit, an, quia non faciunt reflexam comparationem, & per discursum mediorum eum fine, dicenda sunt necne operari propter finem. Si prima quaestio bene explicetur, de secundâ, quæ ad modum loquendi spectat, non sum sollicitus.

Recentiores communiter docent, nullo modo bruta tunc operari propter finem, nec cognoscere aut appetere utilitatem mediorum; sed hirundini primò proponi collectionem palearum secundum se, ut bonum delectabile; collectis verò paleis, proponi commixtionem cum aquâ & terrâ; factâ verò commixtione, proponi volatum ad nidum, &c. & numquam vnum obiectum ad aliud appetere. Quod confirmat Hurradus, quia bruta appetunt cibum quo sustentant vitam, & tamen nihil cogitant de vitæ sustentatione; idem ergo erit in aliis obiectis.

65 Hæc sententia & mihi olim placuit, quia eam putavi omnium esse, non quia à ratione in eâ non sentirem difficultatem: iam verò puto omnino dicendum, etiam bruta cognoscere (licet imperfectè) convenientiam mediorum cum fine. Et quidem hæc est manifestissima sententia D. Thomæ, 1. Parte, quaest. 78. art. 4. ubi probat ex professo, animantia non solum percipere præsentia, sed etiam absentia, propter quæ mouentur motu processiuo: & ex contrario infert tamquam absurdum, quod animal non moueretur ad inquirendum aliquid absens; statimque addit, animantia non solum appetere ea quæ sunt convenientia sensui, sed alia propter alias utilitates, & ponit exemplum in aue colligente paleas, his verbis: *Similiter auis colligit paleas, non quia delectetur sensum, sed quia est utilis ad nidificandum.*

66 Unde concludit: *Necessarium ergo est animali quod percipiat eiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.* & hinc infert necessitatem sensus alterius, quem vocat *vim estimativam*. De mente ergo D. Thomæ dubitari in hac parte non licet. Eum ibi sequitur Caietanus.

Ratione verò hanc sententiam persuadere est difficile, agitur enim de actu existente in bruto, de quo nos nullam possumus habere experientiam. Et si quis dicat, Brutum non habet talem actum, non facile poterit convinci. Ceterum si quis prudenter rem consideret, dicet sanè, Conclusionem nostram esse manifestissimam: & quidem non iam pono exemplum in hirundine paleas colligente, sed adhuc in re clariori. Quis enim, quando panem cani v.g. ostendo, & ille ad me accedit, quis, inquam, poterit sibi persuadere, quando canis vult se mouere, nihil cogitare tunc de pane, nec velle se mouere ut panem, quem intuetur, & quo viso incipit tripudiare, accipiat; sed præcisè tunc cogitare de motu, postea verò, quando iam est approximatus pani, tunc primò proponi ei comestionem panis? Certè qui hoc dicat, poterit etiam eodem modo dicere, quod nonnulli alij somniant, animalia nihil appetere ex cognitione, nec habere actionem ullam ex attractione obiecti, sed præcisè tamquam lapides in centrum ferri in obiecta proposita, quod erroneum meritò à Suarez & ab omnibus indicatur: posset, inquam, hoc eadem facilitate docere, quia tam videtur incredibile, canem non se mouere propter panem in præsentia casu, sed solum motum propter se appetere, quam quod

nihil verè appetat. Idem est in innumeris aliis experientiis aequè manifestis, ut v.g. quando baculo illum à me repello, quis crederet, illum non timere baculum, & propter illum vitandum fugere; sed solum cogitare de fugâ? & quando vocatus ascendit ad aliquem, quis diceret, cum non cogitare primò nisi de primo gradu, cum autem iam est in primo, tunc cogitare de secundo? Imò neque de ascensu deberet cogitare, sed solum de eleuando pede, & postea de figendo, quæ omnia prorsus sunt incredibilia; ergo negari nequit, bruta aliquo modo cognoscere utilitatem, & ab eâ moueri.

Neque erit iam difficile respondere his quæ pro contrariâ parte afferri possent. Ad illam instantiam de bruto comedente, & non propter conseruandam sanitatem, præstò est solutio. Concedo enim, id ibi ita contingere; sed quid mirum, si etiam in nobis ferè semper ita res se habet? non enim comedimus, nisi quando famemus: tunc autem sola fames nos vrget, non motuum conseruandæ vitæ, neque propterea in aliis rebus nos non operamur propter finem. Ita dico, quando brutum famet vel sitit, bene video ego unde moueatur ad comedendum vel bibendum, nec tunc debeat recurrere ad utilitatem cognitam conseruandæ vitæ. At in aliis casibus, ut in exemplo à nobis posito de cane se mouente ut accipiat panem, quis diceret non aliter canem cogitare aut attrahi à pane, quando se mouet ut illum accipiat, quam cogit de conseruandâ vitâ quando comedit? Ergo in vno casu mouetur propter finem, etiam in alio non.

Neque ad hoc villo modo requiritur, vel brutum discurre, vel esse rationis capax: nam (ut bene D. Thomas eo loco ubi supra subiunxit) ea comparatio utilitatis & honestatis mediij cum fine, &c. quæ in nobis fit cum discursu & rationis usu, fit in brutis naturali instinctu, sine villo discursu aut reflexâ comparatione; non tamen propterea negandum est, ab eis cognosci utilitatem.

Dices: Per sensus non percipitur ea utilitas, ergo per discursum. Et hoc maiorem videtur habere difficultatem in aliis casibus, v.g. in hirundine quæ fortè numquam vidit nidum, nec vidit modum quo is fiat, unde ergo proponitur ei constructio nidi, & palearum utilitas, &c. ergo vel non debet operari propter utilitatem, vel debet discurre. Sed in primis hoc argumentum omnes premit: siue enim operetur propter utilitatem, siue non, omnes concedunt quod appetat hirundo paleas ut sibi convenientes, iam ergo rogo, quandoquidem non videt hirundo nisi colorem & figuram, paleæ, color autem & figura non habent eam convenientiam, nec ad nidum nec cum hirundine, quomodo cognosceret convenientiam paleæ cum se ipsâ? Certè convenientia non est obiectum visus, alioquin & nos eam convenientiam videremus. Idem est in one fugiente lupum, quomodo enim cognosceret convenientiam, quandoquidem hæc non consistit in coloribus, vel saltem non est obiectum visus? Et hoc vrgeat manifestè, etiam si maneat idem obiectum, scilicet lupus, si ouis fuisset cum eo educata, & simul pacificè commorata, tunc non fugisset ouis lupum, & tamen idem prorsus vidisset in eo casu quod iam videt; ergo vel in utroque

De Causâ materiali, formali, finali & exemplari. SECTIO VII. 357

utroque videt disconuenientiam, vel in neutro, vel ea disconuenientia non percipitur per sensus externos.

Propterea puto dicendum, etiam in brutis dari species, quas multi vocant *insensatas*, rerum quas per sensus formaliter non percipiunt: negotamen, eas acquiri per discursum vilo modo, sed solum illas produci in æstimatoria potetia, hic & nunc sic dispositâ, adiutâ speciebus ipsis externis; sicut in omnium sententiâ in sensu interno bruti producuntur species de obiectis visis, ita etiam de eis insensatis, & per eas immediatè cognosci sine discursu vilo eam conuenientiam vel disconuenientiam. Idem dico de utilitate ad finem in exemplo à me supra allato, de bruto accedente ad cibum visum, vel fugiente ab imminente baculo, &c. in hirundine etiam excitari speciem de nido, quæ excitaretur si eum vidisset, Deumque (vt ait D. Thomas) non defuisse, dando his animantibus tales species & cognitiones etiam de obiectis absentibus, & quæ à sensu non percipiuntur, quia necessariae sunt vt animal & suam vitam tueatur, & propagationi suæ speciei attendat. Neque quia bruta sint, ideò nihil aliud debemus dicere ab eis cognosci, quam colorem & qualitates, sonum, cibos, &c. habent enim iram & concupiscentiam, quæ proculdubio supponunt cognitionem aliorum accidentium quam quæ per sensum percipiuntur. Idem est de fame, &c. quæ non videtur percipi per vllum è quinque sensibus, quia nec est color, nec sonus, nec qualitas prima, nec odor, nec sapor. Idem in siti, &c. Idem, quando sentiunt dolorem, & volunt illum vitare.

Respondent huic vltimæ instantiæ de dolore nonnulli, bruta non cognoscere suum dolorem, sed obiectum dissonum, & illud velle vitare. Sed contrâ, ergo fugam illius obiecti appetunt seu carentiam doloris, ergo illam noscunt: carentia autem non percipitur per sensus, per te; ergo habent aliquas species insensatas.

Secundò iudem dicunt, canem non velle dimittere lupum quem apprehendit, & quia delectatur sanguine, & quia timet dilaniatione ab eo. Vnde ego arguo: Ergo apprehendit dilaniatione; sed hæc non intrat per sensus, ergo aliquid, quod non intrat per sensus, percipitur à brutis, ergo potest etiam percipere utilitatem medij cum fine.

Cetera agentia insensibilia nullatenus operantur propter finem: cum enim careant cognitione & appetitione, non possunt vnum propter aliud appetere aut ordinare. Quod si aliquando dicimus, finem ignis disponentis passum, esse introductionem formæ ignis; id intelligendum est de fine improprie, vel de fine in ordine ad auctorem naturæ, nempe Deum, qui potest eas dispositiones ordinare, vt ad finem proprie ad formam ignis, licet ipse ignis producat proprie non eas ordinet, quia caret cognitione & appetitione finis.

SECTIO VII.

De effectibus & causalitate finis.

PRIMò dubitatur, Vtrum primus amor seu complacentia in fine, sit illius effectus. Negant nonnulli, quia terminare & mouere inten-

tionaliter ad amorem sui, non est proprium finis, aliàs etiam bruta operarentur propter finem, quia etiam illa mouentur intentionaliter ad appetendum obiectum bonum, ex bonitate obiecti cognitâ per phantasiam. Hoc argumentum parum nos vrget, concedentes bruta operari propter finem. Confirmant suam sententiam, quia finis est cuius gratiâ aliquid fit, id est, ob cuius amorem aliquid fit; ergo quod fit à fine, non est illius amor, sed reliqua quæ fiunt medio illius amore. Hæc confirmatio statim dissoluetur.

Alij recentiores è contrario censent, etiam eum primum amorem esse effectum finis, non quidem solum, sed simul cum voluntate mediorum: quare licet appetitus bruti causetur intentionaliter à bono cognito, non tamen dicitur esse propter finem, quia ex illo appetitu deberet rursus causari mediorum appetitus, quæ duo includuntur in causalitate finis.

Ad confirmationem de amore primo, respondent, verba illa, *cuius gratiâ*, posita in definitione finis, non sonare idem, ac *cuius amore*, sed, ob cuius bonitatem aliquid fit; cum quo primus amor finis, licet non fiat ob amorem finis, fiat tamen ob bonitatem finis, ideò absolute dicitur fieri gratiâ finis. Quo respondetur cõfirmationi pro contrariâ sententiâ. Quæstio hæc ferè de vocibus, in quâ placet secundus modus loquendi, quem tenet Hurtadus & alij plures.

Secundò dubitatur, vtrum electio mediorum, & ipsa media, sint effectus finis. Ferè omnes affirmant: & ratio est aperta, quia in primis electio oritur ex amore finis, media autem oriuntur ex electione, ergo sunt effectus finis. In contrarium stant nonnulli arbitantes, electionem non esse effectum finis, quia non amatur reflexè ipsa electio vt utilis ad finem, sed medium electum per illam. Cum enim quis vult medicinam propter sanitatem, non cogitat reflexè de ipsâ voluntate medicinæ, neque illam amat, sed præcisè medicinam ipsam, quam solum apprehendit vt vilem ad sanitatem; ergo sola medicina, non verò voluntas ipsius, erit effectus finis. De re non potest esse in præsentis dubitatio, certum enim est quod in hac obiectione docetur, scilicet ipsam electionem mediorum non amari reflexè propter finem, vel saltem id non esse necessum. Ceterum vt dicatur illa electio effectus finis, non videtur requiri vt ametur reflexè propter finem, sed vt causetur à fine mediâ intentione illius; quod rectè potest fieri, etsi reflexè non cognoscatur nec ametur ipsa electio. Imò potest ad hominem argui contra aduersarios, ideò negantes, proprium finem Deo, quia licet media proprie causentur à Deo, amor tamen finis & electio mediorum, quia sunt idem realiter cum ipso, non causantur à fine, ergo supponunt aduersarij, in aliis agentibus propter finem, à Deo distinctis, causari à fine & amorem de illo, & electionem mediorum: alioquin si hoc non requireretur ad rationem finis, malè ex solo defectu huius in Deo negarent proprium finem. Iam ergo supponunt, intentionem & electionem causari à fine, ergo sunt effectus illius, quia causari ab illo, & esse effectus illius, idem est.

Dices Primò: Electio non causatur ab intentione finis, ergo electio non est effectus finis. Respondeo, electionem causari à voluntate determinatâ,